

utuntur, habent in suis privilegiis præceptum celebrandi juxta formam illius missalis; si ergo in aliis minoris momenti ad missam pertinentibus tenentur non mutare aliquid, quanto magis in his quæ sunt in canone, et a fortiori in his quæ sunt in forma sacramenti?

XV. Quod vero attinet ad formam calicis, est magna difficultas, an præter illa verba: *Hic est calix sanguinis mei*, etiam ea quæ sequuntur, scilicet: *Novi et æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum*, pertineant ad substantiam formæ, cum Ecclesia Romana illis omnibus utatur, et eodem modo et tenore illa proferat super calicem, et suppono ut certum, ad minus esse obligationem (saltem in Ecclesia Latina) illa omnia proferendi, quia ita est usus, et traditio universalis Ecclesiæ in re ita gravi et sacra. Et similiter suppono eodem modo posse confici sacramentum valide, dicendo: *Hic est calix sanguinis mei*; vel dicendo: *Hic est sanguis meus*, quia utroque modo significatur, et verificatur contentum sub illis speciebus esse sanguinem Christi. Et utroque modo Scriptura refert illa verba, Matthæus quidem et Marcus dicendo: *Hic est sanguis meus*; Lucas vero et Paulus I ad Corinth. XI: *Hic calix novum testamentum est in meo sanguine*.

XVI. Difficultas est de aliis verbis: *Novi et æterni testamenti, etc.* nam ex una parte quod non sint de essentia formæ, probat auctoritas et ratio. Auctoritas est, quia in multis Ecclesiis (saltem Græcorum et eorum liturgiis ab Ecclesia permisis) non ponuntur omnia illa verba, præsertim illa mysterium fidei, æterni, etc. Multi etiam patres solum commemorant pro forma: *Hic est sanguis meus qui pro vobis effundetur*, Clemens libro VIII constitu-

tionum, cap. XII, alias XVII; Ambrosius lib. IV de sacramentis, cap. V; auctor de operibus card. in sermone de cœna Domini; Justinus in apologia secunda in fine; Damascenus lib. IV fidei, cap. XV. Ratio autem, quæ semper efficax visa est, ex eo deducitur, quia sicut per illa verba: *Hoc est corpus meum*, sufficienter verificatur, quod id quod Christus offerebat erat corpus suum, ita per illa verba: *Hic est calix sanguinis mei*, etiam si alia non proferantur, verificatur quod contentum in illo calice est sanguis, si quidem est propositio affirmativa perfecta significans aliquam veritatem, et non aliam, quam quod in illo calice sit sanguis: sed ex illis verbis, quibus verificatur hoc quod offerebat Christus esse corpus, et esse sanguinem suum, colligit Ecclesia dari conversionem, ut constat ex Concilio Tridentino supra citato: ergo illa verba quæ sufficiunt ad verificationem, sufficiunt etiam ad conversionem panis et vini in corpus et sanguinem Christi Domini nostri: ergo ad consecrationem: ergo ad formam sacramenti. Quas omnes consequentias supra probavimus, et eodem modo currunt hic: ergo etiam si omittantur reliqua verba, sanguis manet consecratus. Et hanc sententiam sequuntur plures ex Thomistas, Cajetanus et Nugno hic super articulum III; Ledesma et Soto, et alij, quos citat et sequitur Suarez hic disp. LX, sect. I, et Vazquez disp. CXCVIII, cap. II et IV.

XVII. Ex alia parte, quod illa verba sint essentialia, etiam suadet auctoritas et ratio. Auctoritas est, quia ex Concilio Florentino habetur, formam hujus sacramenti esse verba, quibus illud Christus confecit: confecit autem sacramentum calicis illis verbis: *Hic calix novum testamentum est in meo sanguine, qui pro vobis effundetur, etc.* et referun-

tur omnia illa verba tamquam prolata a Christo in canone missæ, et retinentur tamquam verba formæ, cum tamen in consecratione panis illa non retineantur: *Quod pro vobis tradetur*: ergo aliquam differentiam invenit Ecclesia inter formam calicis et formam panis, quod in illa retinuit illa verba: *Qui pro vobis effundetur*; in ista omisit: *Quod pro vobis tradetur*: ergo sentit ista verba esse de necessitate formæ.

XVIII. Item est expressa auctoritas S. Thomæ in hac quæstione, art. III, ubi dicit: « Omnia illa verba esse de substantia formæ. » Idem est autem de substantia, ac de essentia formæ; nam supra quæst. LX, art. VIII dicit: « Quod si quid diminuitur de substantia formæ, non perficitur sacramentum: » ergo nomine substantiæ intelligit essentiam formæ. Ratio autem id probat, quia non consecratur calix ad ponendum sanguinem quomodocumque, sed ut mystice separatum a corpore, et repræsentantem effusionem sanguinis in cruce, ideoque per modum sacrificii celebratur: ergo oportet quod in ipso calice significetur hæc mystica separatio; illa autem significatur illis verbis, qui pro vobis effundetur: ergo illa sunt de essentia formæ. Et hanc sententiam tenent multi ex antiquis, quos citat Suarez ubi supra.

XIX. Dicendum est tamen essentialia verba et præcisa ad conversionem sanguinis, et constitutionem sacramenti esse illa: *Hic est calix sanguinis mei*; reliqua vero non de essentia formæ sunt, sed de integritate; et hoc modo dicuntur a S. Thoma, esse de substantia formæ, scilicet, quantum ad integritatem, quia etiam integritas substantia est. Mentem autem S. Thomæ explicabimus in solutione argumentorum. Expresse enim dicit in hoc

articulo tertio taliter illa verba esse de substantia formæ, quod per prima verba: *Hic est calix sanguinis mei*, significatur ipsa conversio vini in sanguinem, eo modo quo dictum est in forma consecrationis panis; sed in articulo secundo præcedentis dixerat S. Thomas, quod forma consecrationis panis: *Hoc est corpus meum*, significat conversionem panis in facto esse; ergo similiter sentit de illis verbis: *Hic est calix sanguinis mei*: si ergo sola ista verba secundum S. Thomam significant conversionem vini in sanguinem, eo modo quo illa verba: *Hoc est corpus meum*, significant conversionem panis in corpus, sentit sola illa verba esse essentialia, reliqua de substantia integritatis.

XX. Ex quo sequitur, quod illa verba adduntur, non ut conversiva et consecrativa, sed ut expressiva passionis Christi, et ejus immolationis in cruce; pertinet autem ad hoc sacramentum etiam esse sacrificium, in quantum immolatio Christi in cruce, quæ facta est per effusionem sanguinis realem, hic habetur per mysticam: ergo sicut pertinet ad integritatem sacramenti quod sit sacrificium, et in utraque specie conficiatur, ita oportuit quod in ipsa forma calicis expressius poneretur effusio sanguinis, ut significaretur non solum ratio sacramenti, sed etiam sacrificii, quantum ad immolationem Christi, quæ consistit in illa effusione mystica sanguinis, sicut sacrificium crucis in effusione reali. Unde dicit S. Thomas in hoc articulo tertio ad secundum: « Quod quia sanguis seorsum consecratus expresse passionem Christi repræsentat, ideo potius in consecratione calicis fit mentio de effectu passionis, quam in consecratione corporis, quod est subiectum passionis. » Itaque secundum S. Thomam retinentur illa verba in

consecratione calicis ad exprimendam passionem Christi, quæ in effusione sanguinis consistit; repræsentare autem illam passionem maxime pertinet ad eucharistiam in quantum est sacrificium, quia licet substantialiter manebit sacrificium sola facta conversione per illa verba: *Hic est calix sanguinis mei*, tamen non ita integre et complete explicabitur, sicut positus illis verbis: *Qui pro vobis effundetur, etc.*

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XXI. Quare fundamentum primæ sententiæ concedimus: et illud est fundamentum nostrum, non minus deductum ex verbis S. Thomæ.

XXII. Ad fundamenta secundæ sententiæ. Ad primum ex Concilio Florentino et canone missæ, et usu Ecclesiæ Romanæ respondetur, omnia illa verba poni in forma, et dicta esse a Christo, sed non omnia ut æque essentialia, et eodem modo requisita; sed quædam ut sufficientia ad conversionem perficiendam, alia ad magis integre et complete exprimendum vim sacramenti, et repræsentationem passionis Christi, si quidem docemur in Concilio Tridentino sessione XIII, cap. IV, ex eo dari conversionem, quia Christus testatus est id quod offerebat esse corpus suum, et sanguinem: id ergo quo sufficienter verificatur hoc esse sanguinem Christi, sufficiens forma est ad convertendum; reliqua solum pertinent ad integritatem et majorem expressionem. Sicut etiam Ecclesia utitur in sacramento penitentiae illis verbis: Ego absolvo te a peccatis tuis, et tamen sola illa verba: Absolvo te, sunt essentialia et sufficientia, reliqua adhibentur in ipsa forma pro majore expressione et integritate.

XXIII. Ad locum S. Thomæ, Sua-

rez et Vazquez ubi supra multi sunt in hoc quod non possit intelligi S. Thomas, quod illa verba sint de substantia formæ quoad integritatem, sed quoad essentiam, oppositum tamen sine ulla dubitatione dicendum est. Licet enim illud verbum de substantia, sit indifferens ut intelligatur de substantia quoad essentiam, vel quoad integritatem, quia etiam integritas substantia est, et non accidens: et S. Thomas loquens de sacramentis in communi in illa quæstione LX, articulo VIII, acceperit substantiam pro essentia, tamen cum specialiter agit de forma calicis, ipse se explicat, quod loquitur de integritate, et non de essentiali ratione formæ ipsius calicis. Explicavit autem S. Thomas hoc duobus locis expressis, præter illum supra allatum. Primo quidem in IV, dist. VIII, quæst. II, art. II, quæst. I, in corpore, ubi inquit: « Quia conditiones appositæ ad subjectum et prædicatum sunt de integritate locutionis alicujus, ideo alii probabilius dicunt, quod totum quod sequitur est de forma, cum totum hoc quod additur, non sit locutio per se, sed determinata prædicati. » Secundo, in hac quæstione LXXVIII dicit: « Quod ea quæ sequuntur, sunt quædam determinationes prædicati (id est, sanguinis Christi) unde pertinent ad integritatem hujus locutionis. Si ergo S. Thomas expresse dicit hæc verba pertinere ad integritatem locutionis; et ex alia parte dicit per prima verba: *Hic calix sanguinis mei*, significari conversionem, sicut in forma panis, non potest esse dubium de mente ipsius, et interpretatione data.

XXIV. Quando ergo in quarto sententiarum citato, solutione ad tertium, dicit illa verba: *Qui pro vobis effundetur*, esse essentialia sanguinis Christi prout hic consecratur, respondetur dici essentialia san-

guini, non absolute, sed quantum ad expressionem virtutis ejus. Non enim ista expressio fit aliis verbis, quam illis: *Qui pro vobis effundetur, etc.* Bene autem stat, quod id quod est essenziale expressioni virtutis, sit solum de integritate respectu conversionis et constitutionis sacramenti. Unde S. Thomas solum concludit ibi, quod illa verba sunt de substantia sacramenti, et non concludit quod sunt de essentia, quia respectu sacramenti essentialia non sunt, licet ad exprimendam virtutem sanguinis essentialia sint. In alio autem loco I ad Corinth. undecimo, lect. VI dicit S. Thomas: « Illa verba esse de necessitate formæ, » sed intelligitur de necessitate non absolute et simpliciter, sed quoad integritatem; aut etiam de necessitate præcepti, supposito quod in aliis locis habemus ipsum non requirere ista verba ad significandum conversionem, sed solum pro integritate locutionis.

XXV. Quomodo autem aliquid possit esse de integritate formæ, et non de essentia, ut in exemplo allato de sacramento penitentiae ostendimus, latius declaratum est a nobis I tomo, I part. disp. II, circa approbationem doctrinæ S. Thomæ, art. III, ubi etiam solvimus instantias patris Vazquez.

XXVI. Ad rationem factam pro ista sententia, respondetur sanguinem hic poni ut separatam mystice a corpore Christi, sed hoc sufficienter verificatur ante expressionem illorum verborum: *Qui pro vobis effundetur*; nam hoc ipso quod seorsum a consecratione panis dicitur: *Hic est calix sanguinis mei*, seorsum consecratur sanguis; atque adeo in ipso exercitio significatur ut separatus mystice a corpore Christi, licet magis integre et complete, et quoad expressionem virtutis si-

gnificetur illis verbis: *Qui pro vobis effundetur*.

XXVII. Instabis: Si illis verbis: *Hic est calix sanguinis mei, etc.* significatur et perficitur conversio: ergo reliqua verba superadjecta non causant conversionem, etiam integraliter, quia jam causatam supponunt integre et totaliter; ergo neque integraliter illam significant, atque adeo non sunt de integritate et substantia formæ. Patet, quia si significarent, causarent, cum sint significativa sacramentaliter: atque adeo practice et efficaciter: vel si ita non significant, non sunt pars formæ sacramentalis, etiam integraliter, quia nec etiam integraliter efficiunt et causant.

XXVIII. Respondetur negando secundam consequentiam, quando inferitur: ergo non significant integraliter. Et ad probationem, si significarent, causarent, distingo; si significarent per se primo et absolute ipsam existentiam sanguinis, concedo; si solum significant virtutem ejus, quæ est quasi proprietas sanguinis, pertinent ad majorem expressionem solum, nego; sic enim non ponuntur ad causandum ratione sui, sed ratione sui principalis, cui adjunguntur, nempe ratione illorum verborum: *Hic est calix sanguinis mei*. In se autem solum habent exprimere virtutem passionis et sanguinis effusi, non ipsam conversionem efficere; et sic non requiritur quod in forma sacramentali omnes partes efficiant, et causent physice per se; sed sufficit quod quædam causent per se et principaliter, aliæ solum magis exprimant. Dicuntur tamen causare ratione aliarum, quibus adjunguntur; sicut dicitur totus homo videre, licet non omnes partes videant, sed solum oculi; reliquæ autem partes ut deservientes oculis: nec amplius requiritur ad partem inte-

grantem, nisi quod aliquo modo alteri adjungatur, illique deserviat; non quod idem faciat atque illa. Et sic S. Thomas dicit in præsentis articulo tertio: « Quod per prima verba significatur conversio; per sequentia vero virtus sanguinis effusi. » Non ergo dicuntur esse de integritate formæ, quasi significant aliquo modo conversionem, vel illam efficiant; sed quia adjunguntur illis verbis consecratis, tamquam significantia virtutem sanguinis effusi, non ipsam conversionem.

XXIX. Ultimo inquires, quid significet pronomen hoc, vel hic, in formis consecratis, et quem sensum faciant formæ istæ. Respondetur ly hoc non posse demonstrare panem, neque sola accidentia panis, quia sic falsificaretur propositio, dicendo de illis, quod sint corpus Christi; neque demonstrant ipsum corpus Christi in se, quasi sit sensus, hoc corpus est meum, quia sic solum significaret quod esset in se, non quod esset ex pane. Unde neque sumitur ly hoc adjective, quasi dicat hoc corpus est corpus meum; sed ly hoc demonstrat substantive hoc contentum sub speciebus esse corpus Christi. Et similiter in calice, hic calix demonstrat contentum sub speciebus vini quod est in calice. Vel si dicatur: *Hic est sanguis meus*, sensus est, hic liquor, seu contentum sub speciebus hujus liquoris, est sanguis meus. Ratio est, quia sic verificantur verba, et significatur conversio in facto esse; et nullum est inconveniens significari per ly hoc, tale contentum indefinite. Explicantur singula. Nam quod hoc contentum sub speciebus sit corpus Christi, verificatur finita prolatione propositionis; ergo in ordine ad illud instans verba vera sunt: hoc autem sufficit ad veritatem, quia propositio non debet verificari nisi in ultimo suæ prola-

tionis: tunc enim est perfecta et completa, et non ante: ergo tunc, et non ante verificari debet, et in ordine ad tale instans ultimum: tunc autem jam est verum dicere, quod hoc est corpus Christi, quia ita est in re; ergo.

XXX. Quod vero optime significet conversionem, probatur, quia in primis significat significatione practica et efficaci, quæ non præsupponit suum objectum, sed facit. Licet enim objectum specificet, et hac parte præsupponatur ad significationem specificatam, non tamen requiritur nisi quod præsupponatur in intentione et objective, subsequatur autem in exercitio et in executione: sicut finis in intentione existens specificat actum, licet in executione subsequatur. Sufficit autem ad veritatem propositionis, quod in ultimo instanti prolationis res existat, quam significat, quia in ordine ad tale instans verba illa veritatem significant, quia practica sunt et factiva sui significati, sicut quæcumque actio productiva et factiva respicit suum objectum ut a se faciendum pro ultimo instanti, non vero factum supponit. Deinde per hæc verba sic explicata significatur corpus Christi, non absolute, sed ut ex pane, quia designatur contentum, quod prius erat panis, et in fine prolationis verborum est corpus Christi; quod non potest stare nisi destruendo substantiam panis, et non per annihilationem, quia aliquid fit; ergo per conversionem; cui favet Concilium Tridentinum sess. XIII, cap. IV, dum colligit hanc conversionem ex eo quod verbis istis significavit Christus id quod offerebat, esse corpus suum; ergo optime significatur conversio, dicendo hoc contentum est corpus Christi, quia id quod continetur offertur.

XXXI. Solum instari potest: Quia

ly hoc est demonstrativum rei in singulari; ergo quando pronuntiat super panem, designat rem illam in singulari: illa autem est individuum positum sub aliqua specie, et non sub alia quam sub specie panis; ergo ly hoc designat individuum panis quando profertur: sed designando individuum panis falsificatur propositio, quia affirmatur propositio de ipso quod est corpus Christi, et hoc est falsum. Quod si dicatur, per ly hoc non designari ipsum individuum ut contentum sub pane, sed indefinite et in communi contentum sub speciebus, sequitur quod ista propositio non sit singularis, sed indefinite et in communi, cum tamen pronomen hoc sit demonstrativum rei singularis, quia demonstrat ad sensum; nec potest aliud demonstrare tunc quando profertur, nisi illud individuum panis.

XXXII. Respondetur ly hoc demonstrare rem unicam et singularem formaliter (scilicet sub ratione contenti) licet materialiter sit multiplex, et in principio sit panis, et in fine prolationis corpus Christi: sic enim significatur conversio. Sicut quando dico hic locus, designatur aliquid singulare formaliter in ratione ambientis in tali distantia: sic enim e converso designatur hoc contentum formaliter sub ratione contenti, quidquid illud sit materialiter, sicut hic locus materialiter sunt diversæ superficies, sive aeris, sive aquæ, sive alterius corporis; formaliter autem idem ambitus: sic ergo ly hoc, significat aliquid utriusque extremo commune, quod sub formalitate contenti est unum (scilicet contentum sub speciebus) licet materialiter sit multiplex, quia in principio est panis, et in fine prolationis corpus Christi. Et sic est sensus, hoc contentum, quod prius est panis, est corpus

Christi. Et cum dicitur, quod hoc modo illa propositio erit indefinite, respondetur, quod erit indefinite secundum quid; simpliciter autem singularis, quia demonstrat hoc contentum sub accidentibus, quod ratione contenti est unum, licet materialiter et ex parte connotati sit multiplex, et utrumque completatur quasi vage et indefinite. Nec est novum quod ly hoc possit demonstrare individuum vago et indefinite modo, saltem ex parte sui materialis, ut cum dico: Hæc herba nascitur in horto meo, non demonstrat hanc materialiter in individuo, sed hanc speciem herbæ, connotando ejus sensibilem demonstrationem per accidentia visibilia.

ARTICULUS II.

Utrum verba physice efficiant conversionem, et pro quo instanti?

I. Utraque hæc difficultas connexa est, quia si tribuimus verbis physicam efficientiam, oportet declarare pro quo instanti illam habeant; quod valde difficile est in prolatione verborum. Cum enim proferantur per motum, non habent instans intrinsecum suæ desitionis, sed extrinsecum, quia motus desinit per primum non esse: in illo autem instanti quo verba finiuntur, non existunt, sed transierunt, quia est instans extrinsecum; ergo non possunt causare physice, quia quod physice non existit, neque causat. Si autem solum moraliter causarent, non esset difficultas, quia tunc sufficit præsentia moralis; censetur autem moraliter existere, quod immediate ante præterit, et in existimatione est perinde ac si esset: tunc autem solus Deus causaret illam conversionem, supposita illa